

4.

Beiträge zum Briefwechsel der katholischen Gelehrten Deutschlands im Reformationszeitalter.

Aus italienischen Archiven und Bibliotheken

mitgeteilt von

Walter Friedensburg.

(Fortsetzung ¹).

160. Fabri an Aleander: Klagen über die Neuerer. Ein-
sendung seiner Schrift de absoluta necessitate. 1537 Februar 4
Wien.

Aus Bibl. Vatic. Cod. Vatic. 6199 fol. 108 Orig., von Aleander's Hand das Praesentatum: Romae 23 martii.

R^{mo} in Christo pater ac domine et patrone observandissime. salutem et omnem complacendi voluntatem. non cessant omnem movere lapidem haeretici, quibuscum R^{mae} Tuae Dominationi ingens fuit semper pugna ac colluctatio; ego vero, ut suscepto muneri, pro eo ac debeo respondeam, quantum possum et incumbo ut impiorum conatus retardem ac frangam. nam licet subinde nova moliantur, dum aut veteres ac damnatos errores veluti ab inferis revocant aut cantilenam recinunt eorum quae jampridem non sine magna totius Christianitatis pernicie miserrimae plebeculae inculcarunt. nulla enim, ut vetus apud nos verbum est, in haeretico homine constantia, nulla etiam in ipsismet eorum deliramentis perseverantia. nam dici non potest quam omnia nunc torqueant ac retorqueant, nunc aedificent aut diruant, sane de ipsa ² venerabili eucharistia; nam inde a duodecim annis plus quam trecentas fecerunt chimeras, ut interim de aliis taceam. quantum igitur licuit in regis negotiis, paucis hisce diebus libellum de absoluta necessitate ad San^{ctum} Dominum Nostrum conscripsi, quem Tuae R^{mae} Dominationi nunc legendum ac judicandum mitto pro

1) Vgl. Bd. XVI, S. 470 ff., Bd. XVIII, S. 106 ff. 233 ff. 420 ff. 596 ff., Bd. XIX, S. 211 ff. 473 ff.; Bd. XX, S. 59 dieser Zeitschrift.

2) Orig. ipso.

R^{mae} Tuae ¹ Dominationis singulari eruditione, doctrina, ac pietate, quae sane in gravissimis rebus jam est perspectatissima. eum librum praeterea cupio per Tuam R^{mam} Dominationem San^{mo} Domino Nostro una cum authore commendari, cui me etiam atque etiam plurimum commendo.

Datum Viennae quarta die februarii anno etc. tricesimo septimo ².

Ad vota et ex amico
Johannes Fabri episcopus Viennensis.

161. Fabri an Aleander: Antwort auf dessen Brief. Schmerz über Aleanders Übergehung im Kardinalat; Wertschätzung seiner Freundschaft. Hoffnung, daß Aleander doch noch den roten Hut erhalten werde. Bitte um seine Verwendung beim Papste. 1537 September 21 Wien.

Aus Bibl. Vat. cod. Vat. 6416 fol. 120 Orig.; fol. 121^b die Adresse: daselbst das Praesentatum von Aleanders Hand 5 jan. 1538 und der Vermerk des Nämlichen: reddidit d. Gabriel Sanctius sero, quia aegrotavit.

Post humillimam sui commendationem. R^{me} in Christo pater et patrone in majoribus observandissime. literae R^{mae} Dominationis Tuae fuerunt non tam graves quam rursus etiam gratissimae. nam primum quod video R^{mam} Dominationem Tuam cum in omnibus literarum studiis versatissimum doctissimumque, tum etiam in vendicanda orthodoxa religione industrium diligentissimumque, qui omnibus nobis semper signa summae doctrinae eruditionis ac singularis incredibilisque pietatis praetulit, nescio quorum hominum invidia sic praeteriri, non potui non ex animo quam maxime dolere. rursus vero cum singularem benevolentiam ac veterem animi tui erga me conjunctionem semper ex literis R^{mae} Tuae Dominationis spirantem considero, tantum non in coelo me esse arbitror, qui apud hominem longe omnium doctissimum gravissimumque eum amoris ac studii locum reperire potuerim. doleo tamen interim speratos laboribus tuis fructus non respondisse; nam et antea semper, nunc vero maxime laborum ac vigiliarum maximos R^{mae} Tuae Dominationis fructus ominati sumus, neque animo saltem, si aliud re ipsa praestare non possumus, te ad

1) Orig. V. (Vestrae).

2) Fast gleichzeitig hiermit, nämlich am 2. Februar, schrieb Fabri im Interesse Aleanders auch an Papst Paul., um diesem das Befremden der deutschen Katholiken über Aleanders Übergehung bei der letzten Kardinalspromotion auszudrücken; gedruckt G. Capasso, I legati al concilio di Vicenza (Parma 1892), p. 33sq.; vgl. Nuntiaturberichte I, 3, S. 39. S. auch unser nächstes Stück.

maximas Tuaque R^{ma} Dominatione dignissimas dignitates provehere desistemus; nam revera nescio quid alii sibi polliceri debeant, cum tui hactenus ratio prout debuit habita non sit. spero tamen atque adeo in certissimam spem erigor, fore ut maximus ille optimusque pontifex ingentibus tuis meritis offitiisque adductus (quorum ego perpetuus ero testis) tibi maximos quosque, quos tamen Tua R^{ma} Dominatio non tam sua causa quam juvandae religionis ratione non ambit, sed merito suo requirit, habiturus sit. quod autem ad me spectat, non committam ut locupletissimum R^{mae} Tuae Dominationis testimonium, ne an dicam amicitiae iudicium ingratitude aut silentio deleri apud me sinam. coeterum quod ad me attinet, omnium maxime et laboribus et aerumnis afflictissimum in literis meis ad Suam Sanctitatem copiosissime ostendi. rogo tamen R^{mam} Tuam Dominationem, velit operam dare ne siquid benignitatis Sua Sanctitas in me conferre vult, hoc in suspensio sit; nam facilius erit aliorum praerogativas ad tempus suspendi quam mea studia ac labores paupertate impeditas flavescere. non dubito etiam, si R^{ma} Tua Dominatio operam datura sit, ut mihi primo quoque tempore consulatur; nam profecto episcopatus meus est pessimis modis acceptus ¹, non solum a debitis, quae ² praecessores mei conflarunt, verum etiam ab Infidelibus atque adeo ipsis tempestatibus. quod vero rursus ad me spectabit, dabo operam diligentissimam ut aliquando in officio constituendo paria faciam.

Datum Viennae Austriae in die sancti Mathaei apostoli et evangelistae anno a Christo nato 1537.

Ad vota R^{mae} D^{nis} Tuae
Johannes episcopus Viennensis.

162. Fabri an Kardinal Giacomo Sadoletto: Schmerz über dessen freundlich gehaltenen Brief an Melanchthon; Nachteile dieses Schrittes. Sendung von Auszügen aus Melanchthons Schriften zum Beweis seiner Irrlehren. Keine Aussicht, daß Melanchthon und Luther sich je ändern werden. Verdienste des ersteren um die Grammatik und Pädagogik; schädliches Wirken im antikirchlichen Sinn. Hoffnung auf das Konzil. [1538 Januar 28.]³

Aus Bibl. Vat. cod. Vat. 3918 fol. 20^a—22^b, Abschrift der Kanzlei Aleanders.

S. et omne bonum in domino. circumfertur, R^{me} pater, non modo per Germaniam, sed utinam non etiam per illius finitimas

1) So! zu lesen: affectus?

2) Orig. quos.

3) Über das Datum s. den Eingang der Antwort Sadolets.

nationes epistola quaedam, quam procul dubio pro tua in omnes nativa bonitate et bono zelo nuper ad Philippum Melancthonem satis eleganter scripsisti¹. circumfertur autem, ita adversariis ecclesiae Dei molientibus, proh dolor non sine tui amplissimi nominis apud quosque Catholicos jactura non mediocri. dici enim non potest quantum apostata Lutherus et quotquot in illius verba seditiosamque factionem jurarunt, gloriantur tripudientque² tandem eos tantum effecisse ut Sadoletum, hunc doctissimum et qui inter cardinales primarium habet nomen, ad se et in sua dogmata pertraxerint; jam enim factum sit ut ille tota animi sui cogitatione ambiat inire et habere amicitiam et quidem firmam cum Melancthone. ea enim epistola, quae passim per manus volat, plenis velis diu optatam amicitiam insinuet, et quidem non alia ex ratione quam quod ille ac tantus vir ea probet quae Melancthon in locis communibus ac in diversis commentariis pro doctrina christiana ediderit. sed mi tu, mi Sadolete, pater mihi multum in omnibus observande, patienter audi momentem amice. fateor ingenue, hac tua suavi et blandiloqua ad Melancthonem epistola Lutheranos exhilarasti quam plurimos, ne dicam omnes; sed e diverso ex inconsiderata tua scriptione turbasti et merore multo affecisti Catholicos sane non paucos. exhilarasti, inquam, adversarios, qui ex autoritate tua, ex nomine tuo, ex eminenti insuper gradu tuo jam certo sibi persuadere incipiunt Sadoletum illorum dogmatibus accessisse et quod propediem sint et alii cardines orbis terrae accessuri. turbasti vero super modum Catholicos, qui etiam usque in hanc horam ad sanguinem tam pernitiosae et abominabili sectae contradixerunt resistuntque quotidie. cogitasti forte epistolam tuam pro Catholicorum more secreto missam secretoque receptam et conservatam: sed vide quam pulchre tibi a prima insinuatione illud sit. non enim secreto retenta est, sed et in ignominiam tuam et tuorum pulchris glossematibus locupletata est. an putasti te prudentiorem esse Paulo, qui rediens e tertio celo Titum docuit, haeticum hominem post unam et alteram correptionem vitandum esse³; aut putas te sanctimonia vitae Joannem apostolum et evangelistam praecedere, qui ave hujusce generis hominibus dicendum vetuit⁴; aut putas negligendum esse quod dominus et Salvator noster clara voce docet apostolos et omnes apostolicos viros, ut qui ecclesiam non audierit, sit velut ethnicus et publicanus habendus⁵.

1) Am 17. Juni 1537; gedruckt Corpus reformatorum, vol. III, nr. 158 f. p. 379 (vgl. in dieser Zeitschrift Bd. XVIII, S. 276).

2) Vorl. tripudiantque.

3) Tit. 3, 10.

4) Joh. 2, 10.

5) Matth. 18, 17.

At forte haec legens arbitraberis me injuste et sine causa vituperare eum in cujus amicitiae album tu Sadolete sedulo inscribi cupis. sed utinam Melancthon ad instituta sui praeceptoris Capuionis studia sua vertisset et plane imberbis juvenisque dum esset, grammaticis et rhetoricis traditionibus contentus gravissimis orthodoxae religionis rebus juvenili calore commotus et ardens nullas excogitasset tragoedias. jam vero prohdolor quemadmodum olim Cresconius antiquus grammaticus d. Aurelio Augustino et ecclesiae Affricanae non formidavit grande facescere negotium, ita tuus Melancthon, vixdum decem et octo aetatis annos habens et qui nunquam Christi discipulus fuerat, coepit esse magister insipientum et lenitate sermonis supra modum sanctam perturbavit ecclesiam. nec post tot annos a semel imbibitis haeresibus et tragicis motibus resipiscit. dabimus et hisce praesentibus mittimus brevem et parvum gustum eorum quae imprudens homo ille impudenter adversus veritatem et tranquillam ecclesiam Christi effutivit¹. paucula haec ex multis et valde abominabilibus excerpere placuit, ut rescires cujus corium insidens more Scytharum sis juraturus amicitiam.

Jam quaeso, mi R^{me} pater, cogita an nobis, qui pro aris et focis ecclesiam Dei in hanc horam et per totidem annos deffendimus, non dederis justam dolendi et maerendi causam; a sede enim ac cathedra et ecclesia Romana nos quotquot catholici sumus quasi a certo et divino oraculo contra haereticos certa et divina responsa et juditia expectamus; ab ecclesia, inquam, Romana expectamus justa judicia, propterea quod divina benignitate datum est huic ecclesiae ut primatum haberet et ut ex fide Petri, pro qua Christus etiam tam impense rogavit, omnium saeculorum haeretici ab illius praesidentibus episcopis damnarentur, quemadmodum et ab antiquo damnati sint, neque inveniri facile posse arbitror insignem ecclesiam quae non aliquando dederit authores haereticos; sola haec ab hac labe totidem saeculis intacta remansit.

Video tamen tibi condonandum esse, qui juste cum Paulo dicere potes: ignorans feci. quis enim de te male suspicaretur, qui nobis in epistolam Pauli ad Romanos commentaria et quaedam alia tradidisti. sed confer quaeso tua commentaria cum nigrae terrae hominis (Melancthon enim de eadem nomen habet) commentariis ac locis communibus et perpende quae sit conventio Christi cum Belial, lucis cum tenebris et pacis cum seditione!

1) Die Excerpte folgen in der Vorlage (foll. 23—27); sie sind den Auslegungen der neutestamentlichen Schriften, den Loci communes (excussi Basileae 1522 mensis octobris), vor allem aber der Schrift „Ex libro Didimi Faventini adversus Thomam Placentinum Ph. Melanctone auctore anno 1521“ entnommen.

quod si forte tibi hunc imbueris animum quod, quando palinodiam persuaseris Philippo, sit etiam recantaturus Lutherus: ego vero rotunde dico te toto caelo errare. nam colligationes impietatum inter hos homines vere injustos usque adeo fortes sunt ut quanto te humiliaveris et abjectiorem feceris, tanto magis erecturi sint cristas. et si potest Aethiops mutare pellem suam et pardus varietatem suam, etiam ipsi studebunt post tot male dicta et facta bene docere et facere. et si quis nodosum podagram corporis et quod immedicabilis gangrena obserpsit, mederi potest, ita Philippum vere Vertumnum et Protheum ad rectam perducet viam. dem tibi Melancthonem in grammaticis et rhetoricis juvenilibus rebus posse praestare aliquid ac pro erudendis pueris nonnihil praestitisse; sed in evertenda orthodoxa religione et suppressenda cathedra ac autoritate Petri multo validior et magis intentus est. det autem optimus maximus ille noster Deus ut aliquando San^{mus} Dominus Noster et vos R^{mi} cardinales oecumenicum, quod tandem indictum est, concilium in spiritu sancto congregetis et tunc erit in mari nunc saevienti et supra modum aestuanti magna tranquillitas, nam hac cogitatione et hoc instituto plane nihil efficietis.

Vide quam aperte tecum agam; sed considerabis ad quid me impulerit zelus domus Dei et charitas Christi, et condonabis mihi ut spero, si forte vel durius vel acerbius aliquid scripsi, quod tuam auctoritatem offendere posset. nam hoc loco non modo de tuo et nomine et honore, sed etiam de nostra et orthodoxorum communi salute agitur. his vale et me ac reliquos per Germaniam exulantes et misere oppressos Catholicos commendatos habe.

163. Sadolet¹ an Fabri: dankt für seinen Brief. Legt dar, weswegen er an Melancthon versöhnlich geschrieben habe und versichert seine unverbrüchliche und unbedingte Anhänglichkeit an die katholische Kirche und Lehre. 1538 Februar 20 Rom.

Aus Bibl. Vat. cod. Vat. 3918 fol. 28^a—30^b, Abschrift der Kanzlei Aleanders.

Accepi tuas 5 kal. februarii datas literas, quae nimirum mihi gratissimae fuerunt, vel quod libero a te animo et aperto sunt scriptae (qua ego libertate ac fide in amicitia tuenda maxime delector), vel quod eadem me amice ac sapienter admonent neque

1) Vgl. Sadolets Verantwortungsschreiben an Nausea in der nämlichen Angelegenheit, gedruckt in Sadoleti, Epistolae quotquot exstant (Romae 1760), pars 2, p. 509—511 (vom 22. November 1537).

id solum mihi demonstrant in quo a me jam erratum fuerit, sed in posterum etiam docent quid mihi cavendum sit et fugiendum, ne dum conciliare mihi adversarios quero, nostrorum animos offendam. ego vero, mi Faber doctissime atque isto in quo es loco honoreque dignissime, magnam habeo tibi gratiam quod me tam fideliter et sine fuco admonueris tantamque tibi sumpseris mei instruendi et de illis rebus omnibus hominumque naturis edocendi curam. sed tamen ego cum ad hominem illum scripsi, quem tu minime probas, non id tantum spectavi ut cum illo amicitiam inire, sed illud etiam magis ut conciliata mihi illius benivolentia, quod meae certe litterae efficere debuerunt, aditus mihi deinde esset ad hominum illorum animos in optimas partes pertrahendos et revocandos, in quo ego tum illis, tum catholicae ecclesiae esse consultum cupiebam. quoque libentius et studiosius illam rationem sic scribendi aggrederer, hoc est amanter, comiter, humane, illa etiam res imprimis me hortabatur quod videbam et intelligebam, qui contrariam viam sequuti contentiosius atque asperius cum eisdem illis egissent, hos minus fortunatum exitum suarum actionem esse consequutos, quorum mens et voluntas ut summe laudanda, sic non omnino fuit consilium probandum. at qui experiri mihi libuit utrum contraria ratio et agendi via eveniret felicior.

Scripsi igitur perbenigne et perfamiliariter, usque eo quidem ut parvam videar in scribendo habuisse rationem meae dignitatis. sed ego dignitatem in eo potissimum statuo ut ad gloriam Dei et ad studium componendae pacis omnia mea consilia et acta dirigantur. quem ego finem tum maxime spectans literas illas dedi, quas tu scribis non sine gravi nominis mei nota per manus plurimorum fuisse circumlatas. quod si ita est, ignominiosa est ergo et pietas in summum Deum et cupiditas concordiae conciliandae, quae me una praecipue ad illam scriptionem impulit. nam quod persuasum adversariis sit me jam illorum factionibus factorem accessisse, hoc neque eos sic existimare neque hominem quemquam credere posse confido. notum est enim et pervulgatum qui ego et quantopere sim catholicae ecclesiae addictus, cujus ex unius nutu, ne dicam mandato aut praecepto, ita totus pendeo ut nullus unquam terror, nulla hominum vis me de hac sententia deductura sit. quid enim nos separabit a dilectione Dei? ut ille summus apostolorum inquit. nihil certe potest esse tantum quod moveat animum nostrum ullam aliam in partem atque in eam ad quam me ecclesia catholica ducit. quod si hujus nostri decreti et constituti, quo saepe jam dictam ecclesiam catholicam regulam esse volumus omnium cogitationum deliberationumque nostrarum, parum multa antehac dedimus signa atque inditia, cum tamen in eo genere pro virili nostra parte non mi-

nimum elaboraverimus, dabimus alia indes evidentiora atque graviora, per quae non adversarii modo nostri, sed omnes omnino homines cogantur confiteri nihil esse non dico me ipso christianum magis (nefas enim est de veritate hujus verbi dubitare), sed quod castius, religiosius, moderatius hoc tempore a quoquam homine sit scriptum quam ego et scripsi in his rebus quae ad religionem pertinent, et sum scripturus, ut, si etiam multi ingenio et doctrina superiores me existant, mea tamen ad pietatem modestiamque propensio nemini eorum concessura sit. quapropter quod scripsi ad Melanthonem, eo consilio feci ut ipsius ego ad me traherem animum, non ut meum illi dederem.

Vos accusatis consilium meum et reprehenditis. esto: sit a me propter ignorationem morum illius hominis erratum, voluntas certe mea nequaquam reprehendenda est. id enim ego volui quod pio et religioso homine dignum est, videlicet ut mansuetudine, non contentionibus tentaretur ratio concordiae constituendae: quae si de principio sic fuisset ratio instituta atque suscepta, hodie tantis dissidiis et seditionibus careremus! et tamen in illis literis bis cum testificer meas cum Melanthonis opiniones non convenire, qui potest in dubium venire integritas mea? equidem, quod ingenue confiteor, probavi hominis ingenium sermonisque elegantiam dignam laude esse duxi, sententias autem ejusdem neque tunc probavi neque probare adhuc possum. etsi enim videtur ille moderatius multo quam soleret antea a Catholicis dissentire, tamen quoad prorsus ecclesiae collum subjecerit, erit mihi ethnicus et publicanus: quod quidem sic intelligendum esse puto, non ut comertium sermonis inter nos prohibitum (nam et Israelitae cum publicanis ac gentibus negotia contrahebant), sed ut consensus opinionum et sententiarum debeat esse interdicta, cum praesertim ea quae tu ex illius scriptis dicta collegisti, mihi et falsa et impia esse videantur. sed ut redeam ad propositum, ego tibi, mi Faber, pro hac cura quam de me certius erudiendo docendoque sumpsisti, debeo profecto gratiam eamque sum, si occasio fuerit, libenter relaturus, neque te tantum exulem, ut tu te scribis, sed ut fortissimum propugnatorem christianae veritatis in oculis fero. quicquid autem mei ingenii aut literarum facultas efficere potest, quae etsi admodum exigua est, ardeo tamen studio tutandae religionis, id ita conjuncto tecum animo catholicae ecclesiae totum dedo atque dico, ut integriorem fortiorem constantiorem comitem ad sacra majorum nostrorum et sanctae hujus sedis apostolicae decreta protegenda neminem sis habiturus. vale et me Ser^{mo} isti regi, cui ego omnibus meis offitiis inservire cupio, commendatum fac.

Romae 10 kal. martii 1538.

164. Fabri an Girolamo Pesaro: gemeinsame Beziehungen zu Carlo Capello. Übersendung einer Probe seiner Schriften. 1539 Januar 27 Wien.

Aus Bibl. Vat. cod. Reg. 387 fol. 43 Original.

Salutem et omne bonum. quoties, ornatissime Pisauri, mihi in mentem venit magnifici et doctissimi tui Capelli¹ in me humanitas atque singularis amor, non possum equidem committere quin te impense et ex animo diligam. adhuc enim recenti teneo memoria quam saepe et quidem longo sermone neque sine honorifica tui mentione de rebus variis cum utriusque, ut opinor, summa laetitia contulerimus. quo etiam fit ut magis magisque cogitem quonam argumento tibi meam amicitiam insinuare et notiozem facere possim. mitto igitur per praesentem meum familiarem ad te mea de sacris jam primum invulgata², parvum quidem et exiguum mei erga te amoris³, ut solum digito monstrarem quam mihi non tam tua, quam etiam Capelli tui humanissimi sanitas sit curae. igitur quicquid hoc est, grato ut spero accipies animo. id si sensero, posthac alia quaedam ut spero tuo nomine et fama digniora ad te mittam. his bene ac in domino vale.

Ex Vienna Austriae 27 januarii anno 1539.

[eigenhändig] Ad vota paratus

Johannes episcopus Viennensis.

Clarissimo ornatissimoque viro ac domino

Hieronymo Pisaurio Venetiarum

senaturi, domino et amico suo colendo etc.

165. Nikolaus Wolrab, Drucker in Leipzig, an Fabri: Lage des ersteren. Besorgung eines Druckes für Fabri. Unsicherheit, ob er in Leipzig wird bleiben können. Angelegenheit Witzels. Protestantisierung des Herzogtums Sachsen. 1539 Juni 4 Leipzig.

Aus Arch. Vat. Armar. 64 vol. 26 fol. 222^a—224^a gleichzeitig. Abschr.; von Aleanders Hand der Vermerk: Viennae die 17 [junii?] 1539.

R^{me} in Christo pater, domine gratiose. R^{mae} Vestrae Paternitati sint oblata subdita mea ac ad omnia parata obsequia.

1) Der schon erwähnte venetianische Gesandte bei K. Ferdinand, Carlo Capello.

2) Die Abhandlung De sacris non temere invulgandis?

3) Unleserlich (griechisch).

4) Der vorliegende lateinische Text ist augenscheinlich Übersetzung, die Aleander veranlaßt haben wird. Über Wolrab s. die in dieser Zeitschrift veröffentlichten Briefe des Cochlaeus.

R^{mae} Vestrae Paternitatis scripta ¹ accepi, legi simul et intellexi, in quibus R^{ma} Paternitas Vestra singulariter et seriose de adversariis meis mentionem facit, id quod proch dolor plus satis est, adeo quod ego etiam nihil aliud magisque timeam quam injuriam et infortunium, et ex multis rationibus, quod pro eorum animo mihi vivendum sit: quod pene mihi jam imputatum est, attamen nihil certi conclusum. R^{ma} Vestra Paternitas dat mihi consilium de avehendis libris, pro quo quam possum maximas habeo gratias; ita tamen mihi agendum est ne fiam patefactus, nam in istis hominibus nihil aliud quam tyrannis speranda est.

Impossibile est quemadmodum antea R^{mae} Vestrae Dominationi declaravi, hoc opus ad futuras nundinas posse absolvi, etsi libenter incepissem quo tanto citius absolvi potuisset et ut R^{ma} Vestra Paternitas hujus partem accipere a me potuisset. cum vero R^{ma} Vestra Paternitas exemplar tam serio a me repetat, ut iterum exscribi possit, prout valde necessarium est, nolui intermittere, et si hoc factum fuerit, velit R^{ma} Vestra Paternitas mihi, quam citissime fieri potest, hujus partem aliquam remittere, quo ego incipiam simul et videam an etiam mihi R^{mae} Vestrae Paternitatis libri imprimi vel vendi non concedantur.

Misi R^{mae} Vestrae Dominationi probam, simul eidem meam sententiam declaravi quantum ego intellexi. jam quemadmodum R^{ma} Vestra Paternitas habere vult, ita faciam, et in hoc libenter et aequae cedam. si R^{ma} Vestra Dominatio exemplar exscribi fecit, remittat mihi exemplar unius characteris et scripturae et quod recte ordinatum est; nam timeo, si plures in eo scripserint, quod mutari posset. cum verbulo: centuria prima etc. R^{mam} Vestram Paternitatem sequar, prout mihi eadem Paternitas Vestra jussit. de parte quam Petrus Quentel imprimit ², nihil scivi.

Posito autem casu si ego R^{mae} Dominationi Vestrae aliisque Lypsenibus catholicis hic imprimere non possem, attamen jamdudum consilium feci quod unam aut alteram pressam Moguntiae constituere velim, tamdiu quousque occasione a Lypsia recedere possim; si vero Lypsiæ sum, tanto melius libros in vulgus spargere possum, si non patefactae ³. habeo tot bonos amicos et bibliopolas notos quod opus etiam vendere possum quoad fructum veniat.

Cum Wicelio, proch dolor, ita se res habet, quod timeam

1) Da diese scripta nicht vorliegen, ist unser darauf Bezug nehmendes Stück nicht immer ganz deutlich zu verstehen.

2) Quentell oder Quentel, berühmte Druckerfirma in Köln, begründet von Heinrich Quentell, damals von seinem Sohne Peter geleitet: vgl. Merlo in Annalen des histor. Vereins für den Niederrhein, Heft XLII, S. 64 ff.

3) So!

ipsum in principis provinciam non reversurum; nam ipse una cum senatu conductum assequi non valet ut recte sese excusare posset; quapropter ego nullam de eo spem habeo, et rogo R^{mam} Vestram Paternitatem, in hoc incumbere ut Moguntiae aut alibi locum et certam sedem habere posset. jam Pragae est, prout suasit R^{ma} Vestra Paternitas.

In brevi visitatores in provinciam nostram mittentur ut omnia reformentur. jam celebrantur germanice missa, baptisatur et eadem lingua, corporis Christi processio non procedet et omnes christiani ritus decedunt apud operas maechanicas. nescio quid inde oriturum sit si visitatores venient. timeo ne non ausurum quicquam imprimere, nisi prius tali praedicanti visurum exhibeam¹.

Mitto R^{mae} P. V. exemplar inclusum, etiam munitum ut antea; nolui nec ausus sum apud me retinere partem hujus et incipere, nisi prius viderem rerum processum.

Tabellarium ad biduum retinui, quod putaram me bonum nuntium R^{mae} Dominationi Vestrae velle scribere; nam senatus habebat tabellarium apud principem in causa Wicelii pro conductu, nihil tamen effecit. elector² una cum suis regnat regionem³. iam de dato harum literarum senatus apud nos omnia clinodia ex monasterio Paulino simul et omnibus aliis ecclesiis accepit ad se. id quod in civitate non est mos. nescio an hoc senatui vel communitati ad utilitatem fiat, an principi. Deus nos ab omnibus necessitatibus liberet. amen.

Lipsiae 4 junii 1539.

166. Rektor und Universität Prag an Fabri: Bitte um Verwendung bei K. Ferdinand behufs Nachlafs einer Auflage. Schilderung der traurigen Finanzverhältnisse der Universität. 1539 Juni 17 Prag.

Aus Arch. Vat. Arm. 64 vol. 26 fol. 227^a^b, gleichzeitige Abschrift.

Etsi multis argumentis Tuæ Paternitatis studium erga nos nostramque academiam cognitum ac perspectum sit, presul amplissime, adeo ut omnem operam et officium ultro eidem detulerit, neque nos sperabamus unquam in eam nos deduci posse necessitudinem ut Paternitati Tuæ prius molesti quam offitiosi esse velimus: tamen huc nos impulit durum telum necessitas et tuæ ad hæc invitavit humanitas, ut ad te velut sacram quandam ancoram confugeremus. ignosces igitur nostræ huic importuni-

1) Hier folgt die Nuntiaturreporte I, 4, S. 565 Anm. 4 mitgeteilte Schilderung der Vorgänge in Leipzig vom 23. bis 27. Mai u. s. w.

2) Kurfürst Johann Friedrich von Sachsen.

3) So? es scheint im Wort korrigiert zu sein.

tati, antistes clarissime, quod gravioribus studiis detentam Paternitatem Tuam interturbare ausi fuerimus. {sed quidnam id sit, liceat Paternitati Tuae cognoscere.

Proximis his annis quum bona omnia regni Bohaemici censerentur, impositum fuit in nos quoque grave jugum exactionis et bernae illius, cui ferendo cum nulle vires nostre omnino essent, confugimus ad Majestatem Regiam tanquam ad dominum et patronum nostrum gratiosissimum et bina vice eidem supplicavimus, inopiam ac defectus studii nostri exponentes. gratiosum responsum expectabamus; sed cum in haec usque tempora dilatatum fuisset, credidimus gratiose nobis condonatum eam bernam esse. nam ea est academie nostre imbecillitas quod illam nullo modo citra maximum detrimentum dare possumus, siquidem paucos admodum et eos quidem pauperrimos subditos habemus, qui neque census debitos a compluribus annis nobis persolvere possunt. ad haec magna pars reddituum schole nostre in cameraticis censibus continetur, quos si daremus, tum collegia studiosis destituerentur et nobis non esset unde ex reliquo viveremus. nam in diem plane vivimus ac quicquid fructuum e bonis percipitur, id omne in alimoniam annuam insumitur et thesauros nullos prorsus habemus. nunc vero officiales bernae eam exactionem urgent, nostra bona et possessiones oppignorare volentes: quod si fiat, veremur vehementer ne reliquiae studii nostri, quae misere nunc sunt attritae, pessundentur. proinde tuam opem imploramus, praesul amplissime, omni obsequio rogantes ut ex quo literas ad Majestatem Regiam de hac re dederimus, intercedere pro nobis et patronum gratiosum ad Majestatem Regiam sese offerre non dedignaretur, quo responsum clemens recipiamus, quod Tuam Humanitatem facturam non dubitamus. nos vicissim pro isto beneficio omni cum promptitudine animi promerendi de Tua Celsitudine studebimus bene mereri et ad extremum Paternitati Tuae nos omni opera et diligentia commendamus. optime valeat Tua Celsitudo, praesul amplissime, patrone noster gratiose.

Datum Pragae e collegio Caroli Quarti die 17 junii anno a Christo nato 1539.

M. Martinus rector et administrator etc., magistri cum omnibus studiosis academiae Pragensis.

167. Johannis Fabri episcopi Viennensis in rebus orthodoxe fidei ac religionis collectanea, comportata in inclyta Flandriae urbe Gandavo anno 1540 ¹.

1) Fabri kam in der Begleitung König Ferdinands Anfang März

Aus Rom, cod. Barberin. XVI, 42 fol. 23^a—24^b spätere Abschrift. — Auch Florenz, Arch. di Stato Carte Cerviniane fasc. 33 nr. 14, gleichzeitig.

1. Lutheranorum varii articuli, quos docuerunt et hodie docent contra propriam suam confessionem Sacrae Cesareae Majestati Auguste exhibitam.

2. Centum ac plures articuli, in quibus Catholici cum Lutheranis bona conscientia concordare ac convenire non possunt.

3. Ducenti quinquaginta quinque insigniores haereses Lutheranorum.

4. Nonaginta tres impietates et haereses Zvinglianorum.

5. Triginta otto blasphemiae et haereses Anabaptistarum.

6. Mutue dissensiones Lutheranorum et Zvinglianorum.

7. Media differentium rerum inter Catholicos et Lutheranos.

8. Ejusdem episcopi ad Lutheranos, ut resipiscant, ad gremium sanctae matris ecclesiae redeant atque semel ipsos agnoscant sincera et pia cohortatio.

9. Conciliorum tam universalium quam particularium tractatio et compendiosa narratio.

10. Quot et quibus conciliis ac orthodoxe religionis tractatibus et ubi praesederint pontifices Romani aut eorum legati ac locumtenentes.

11. Praecipue res Nicenae synodi concluse adversus iconoglatas tempore Constantini VI et Irenae matris ejus anno 742.

12. Canones diversorum conciliorum super connubio et continentia clericorum.

13. Quam utile seu potius necessarium sit his turbulentis per totam Christianitatem temporibus oeconomicon quod dicitur universale celebrare concilium.

14. Confutatio erroris lutherani asserentis post consecrationem in sacramento eucharistiae cessare veritatem et praesentiam corporis et sanguinis Christi momentaneo et eodem ictu oculi quo in missa non adsint qui communicare velint.

15. Confutatio gravissimi Lutheri et Lutheranorum erroris asserentium post ascensionem Christi in caelum neque divam virginem Mariam neque sanctorum aliquem sive apostolos sive martyres confessores virgines aut viduas aut quemcumque aliorum sanctorum venisse in caelum, neque illos aut quemvis Christianum utcumque sanctum venire posse in caelum nisi post extremum iudicii novissimi diem.

16. Praeparatoria pro futuro universali concilio.

17. Contrapugnancia Martini Lutheri dogmata.

1540 an das kaiserliche Hoflager in Gent, wo er bis in den Mai verweilte.

18. De castigando et in obsequium Christi redigendo christiani hominis corpore liber unus.

19. Confutatio haeresis Anabaptistarum impie contententium Christum neque Deum neque aeternum filium esse Dei.

20. Memorandarum rerum pro futuro conventu Spirensi breve compendium.

168. Fabri an Kardinal Alessandro Farnese. 1540

Juni 20 Hagenau.

Aus Parma Arch. di Stato Carteggio Farnesiano Orig. (das Praesentatum auf der Adressenseite: ricevuta a 7 di luglio in Grotteferato, ist ausgestrichen).

Klagt über seine Armut, welche die Kurie ohne Unterstützung läßt¹. Von der Baseler Propstei hat er keinen Nutzen, da die Ketzler sie an sich gerissen haben. Er bittet, bei der Neubesetzung des Bistums Würzburg² den künftigen Inhaber, ehe er bestätigt werde, zu verpflichten, sich eines Teiles seiner Prälaturen zugunsten Fabris und Friedrich Nauseas zu entäußern.

Haganoe 20 junii 1540³.

169. Fabri an Morone: der Vergleichstag zu Worms. Die Baseler Propstei. Krankheit. 1540 Dezember 12 Wien.

Aus Mailand cod. Ambros. O 230 sup. fol. 144 Original.

1) Vgl. jedoch das Nuntiaturberichte I, 4, S. 17 Anm. 1 erwähnte Breve Pauls III. an Fabri vom 17. April 1539. Ferner scheint Fabri auch auf eine Augsburger Propstei Aussicht gehabt zu haben: vgl. Morone an Farnese 10. November 1539 (Dittrich, Nuntiaturberichte Morones 1539. 1540, S. 45, Nr. 25). Auf die Propstei in Basel, die Fabri ebenfalls verliehen war, bezieht sich ferner das Schreiben des päpstlichen Sekretärs Bernardino Maffei vom 22. April 1540 an den damals am Kaiserhofe in den Niederlanden weilenden Kardinal von Nicastro [Marcello Cervini], wo es heisst: circa la prepositura del Fabro s'è fatto tanto con Gumpfenbergh che cederà senza pensione, riservandosi però il regresso; ma tutto vuole che si ricognoschi da monsignor R^{mo} legato [Kardinal Farnese] et non da altri. Florenz Arch. di Stato Carte Cervin. fasc. 20 fol. 30 eigenh. Original. Vgl. auch unten die Nrr. 169 und 171 sowie einen in den Nuntiaturberichten I, 4, S. 583 ff. Nr. 68* abgedruckten Brief Fabris an Aleander vom 7. Mai 1539.

2) Dieses Bistum war soeben, am 16. Juni, durch den Tod Konrads III. von Thüngen erledigt worden; Nachfolger wurde, am 1. Juli, Konrad IV. von Bibra.

3) Gleichzeitig verwandte sich Fabri, in einem besonderen Briefe an den Papst, für Johannes Juncker, Propst zu Allerheiligen in Vesprim (Ungarn) und Erzpriester zu Buda, welchem er den Titel eines Bischofs von Belgrad (Nanderalbensis seu Albe grece) und weihbischöfliche Funktionen (in Vesprim) zu verleihen bittet. Orig. in Parma l. 1.

S. et sui commendationem. jucundissimum mihi est, R^{me} pater, domine et patrone perpetuo colendissime, Rev. Paternitatem Vestram salvam ac incolumem ad colloquium Wormatiense pervenisse. utinam etiam salva, id est rebus recte et ex sententia catholice expeditis, ad nos revertatur, ne toties ac tam diu expectare ac tandem cum Homericō illo non sine turpitudine vacui redire videamur. itaque quaeso curet in eo, et pro suo vere catholico animo nihil quod ad concordiam et pacem unanimi-temque et precipue catholicae apostolicae, veteris et orthodoxae ecclesiae ac sanctae religionis ac fidei honorem et conservationem conducatur, intermittat, in quo quamvis plane nihil dubito, eam tamen etiam atque etiam adhortor.

Caeterum, R^{me} pater, hisce diebus ex Roma mihi allatae sunt literae, ex quibus non sine dolore intelligo negotium praepositurae meae Basiliensis adhuc non esse expeditum. deploro meam in hac re infoelicitatem et certe, nisi R^{ma} Paternitas Vestra me juverit, desperavi. quare R^{mam} Paternitatem Vestram oro ut me denuo suis literis et summo pontifici et cardinalibus commendet, ut tandem et eorum negotia expediantur qui in vinea domini diu noctuque laborant, expensas paciuntur et fere vitam propterea amittunt. si enim facerem ut plerique alii prelati, etiam divites, jam non lecto decumberem, ita ut regi servire et aliis prodesse possem, cum interim mihi curanda sit domi valetudo, et haec propter solam religionem a tot annis defensam mihi accidunt. ecquid erit precii? ut ille apud Ciceronem ait: cum aliorum negotia Rome expediantur, nostra non curantur. sed Deus erit mihi merces magna nimis! haec breviter significare volui. non libenter obstrepro, hoc fecit dolor. bene et quam optime valeat R^{ma} Dominatio Vestra.

Viennae 12 decembris anno a Christo nato 1540.

Ad vota et ex animo amicus
Johannes episcopus Viennensis.

170. Fabri an Morone: Freude über die Nachricht, daß die Lutheraner zur katholischen Kirche zurückgekehrt seien. Völlige Erschöpfung seiner Mittel durch seine der Sache der Kirche geleisteten Dienste. Zerrüttung seiner Gesundheit. Leidliche Herstellung. Hoffnung auf eine Unterstützung, um zum Regensburger Reichstag kommen zu können. 1540 Dezember 20 Wiener-Neustadt.

Aus Mailand cod. Ambros. O 230 sup. fol. 145 Original.

S. et sui commendationem. R^{me} in Christo pater, domine ac patrone observande. nihil mihi jucundius in vita hac accidere potuit quam id quod ante paucos dies ad me allatum est, Lu-

therum ac suos in nostram ac Catholicorum opinionem et ad sacrosanctam sedem apostolicam reversos, adeo ut nulla opus sit disputatione vel ullus concordande religionis et fides labor nobis posthac supersit. et id quidem mihi eo gratius accidit quod video mihi non opus fore posthac tantis ad id negotium sumptibus. de aliis enim meis curis, quas pro ingenii mei tenuitate hactenus impendo, nihil dicam; etiamsi enim hactenus non defuerim, vereor tamen ne in futuris comitiis Ratisponensibus, si hoc nobis non accidisset, adesse nequivissem, quemadmodum adhuc non possum. equidem enim tot annis jam tot sumptus pro religione feci non solum in preteritis comitiis multis et dietis, sed et in impressores ac typographos, quemadmodum adhuc opera mea a me edita testificantur, ut nihil fere mihi supersit et ut tantos sumptus plane posthac facere nequeam, et precipue in hac tam longinqua ad Caesarem in Inferiorem Germaniam profectione, ubi non satis est me sumptus ac labores toto itinere pertulisse, sed et bonam meam valetudinem amisi, ut jam inde lecto fere decubuerim, restitutus in paululum Dei optimi maximi benignitate, cui immortales ago gratias. ad hos autem sumptus nemo mihi quicquam suppeditavit. inde cogitare potest R^{ma} Dominatio Vestra an non justo dolore mihi conquerendum sit, cum interim multi ditissimi et fere omnes prelati domi in quiete manserint adeoque in utramque aurem quietissime dormierint. quare, R^{me} pater, Paternitas Vestra mei, uti semper fecit, memor sit, ut si forte in his futuris comitiis mea opera opus esset, ut mihi suppeditaretur ut venire et me intertenere possem, et precipue in ea re ubi opus foret libris, ut eos mecum afferre, amanuenses meos (quibus carere non possum) alere ac pro necessitate familiares fovere possem. nisi enim hoc loco ab aliis providear, certum est me adesse non posse, quantumvis id pio paratissimoque animo libenter facerem. haec volui R^{mae} Dominationi Vestrae tanquam syncerissimo patrono pro ea qua semper utor confidentia breviter significare, cui inservire perpetuo sum paratus. valeat R^{ma} D. V.

Datum in Nova Civitate in vigilia Thomae apostoli anno domini 1540.

171. Fabri an Aleander: gute Aussichten inbetreff der Erlangung der Baseler Propstei. Die Pension des Bischofs von Veroli¹. Fabris Krankheit. Der Wormser Vergleichstag. Bruder Georg in Ungarn; die Türkengefahr. 1541 Januar 28 Wien.

1) Ennio Filonardi, Bischof von Veroli, Kardinal 1536: vgl. Wirz, Ennio Filonardi, der letzte Nuntius in Zürich (Zürich 1894).

Aus Florenz Arch. di stato Carte Cervin. 4 fol. 112 Original.

Jam tandem desinam R^{me} Dominationi Vestre tot negotiis ac studiis non modo occupate, sed et plane adobroute molestus esse. intelligo enim negotium prepositurae meae Basiliensis, quam mihi San^{mus} Dominus Nostre in consolationem laborum et studiorum meorum gratiose contulit, in vado esse, ita ut non magno labore confici possit. et quoniam nihil refferenda gratia majus est et ego hactenus nil fecerim nisi semper petere, agam hoc tempore gratias quas possum maximas pro R^{me} Dominationis Vestre in me benignitate, imo in meis negotiis diligentia. sane gratum mihi est hoc intelligere, non quod multa ex hac prepositura habiturus sim, quod hactenus nil nisi labores habeo; sed quod jam Zwinglianos illos, qui San^{mi} Domini Nostri potestatem tantopere contemnunt, melius urgere possim; quod quidem mihi difficile erat, imo in detrimentum sedis apostolice tendebat, posteaquam Ambrosius ille a Gumpenberg nescio quale jus pretendebat. ut a Verulani pensione absolutus sim, scribo jam denuo R^{me} Dominationis Vestre familiari Jodoco, qui negotium sollicitabit, nolo enim R^{mam} Dominationem Vestram posthac interpellare. illud unicum peto, ut R^{ma} Dominatio Vestra, si ipsius opera Jodocus indigeret, non gravetur me uti semper fecit commendatum habere. ego jam inde dum ex Haganoiensi conventu redii, ita decubui ut in rebus sanctae nostrae et catholicae religionis perparum prestarim. neque ad colloquium hoc Wormatiense ire potui, tametsi, ut jam re ipsa comperimus, de eo nihil unquam boni frugiferique sperarim, quod contra ecclesiae orthodoxae ac omnem aliam piam consuetudinem moremque est, ut ad me in genere a quibusdam scribitur. tantum erit quantum Haganoie. quare Deum omnipotentem rogabimus ut nostrae Germaniae, imo et aliis peregrinis regnis provinciisque divino suo auxilio tandem succurrat. quod si unquam R^{ma} D. V. in rebus religionis eguimus, eam jam summis precibus efflagitarem. de his alias. novi nihil habeo praeterquam quod post obitum Veivode, illius fictilii regis Hungariae¹, quidam monachus² Budam tenet, et cum adeo contumax sit, non timens apparatus regis nostri in Hungaria, tametsi castra quedam munitissima oppugnata et a nostris adepta sint, nihil certius timemus, nisi id ipsum instinctu Turce ipsius fieri, cujus auxilium expectat ac tanti adjutoris adjumento fretus se non solum regem, imo papam et Caesarem esse putat! atque interim nescio quid circumfertur de instructissima Thurcarum classe, que Neapolim et Italiam venire velit.

1) Johann Zapolya gest. 22. Juli 1540.

2) Georg Utiešenović (Martinusius), Bischof von Grofswardein.

Cupio commendari tanquam humilimum capellanum San^{mo} Domino Nostro et omnibus bonis. quod si posthac dignum quid habebo et certum, non dubitabo quin ad R^{mam} Dominationem Vestram perscribam, cui offitia et obsequia mea perpetua offero. valeat R^{ma} Dominatio Vestra.

Vienna 28 januarii anno 1541.

